

malitas, sive sit infinita; sive à nobis comprehendi possit determinata illa seu certa qualitatis & prædicati seu formalitatis ratio, sive nobis sit prorsus incomprehensibilis. Unde est quod Quanta quoque distingui soleant in *effabilia*, ut est gravitas trium librarum, & in *ineffabilia*, ut est diameter ad costam; & aliàs in *Quanta finita* & *Quanta infinita*.

§. 3. Et hoc imprimis sensu capiendum est vocabulum, *Quantitatis* quando prædicatis & attributis Divini Numinis tribuitur, v. g. cum dicimus aut potius miramur, quanta sit potentia DEI! quanta sapientia! quanta misericordia! vel etiam quando Filium Patri (non nudè similem) sed *æqualem* in essentiâ (termino quantitati proprio) confitemur: aut quando totam & omnem plenitudinem Divinitatis in Christo corporaliter habitare cum Scriptura velut æstimativè perpendimus. Nimirum, non quasi finita sint quæ quanta dicuntur in DEO, aut quasi partibus constent aut terminos habeant, nequaquam; sed quod *ut certa* concipiantur. & *in se sibi constantia*, nec secundum plus aut minus vagum conceptum sistant, ita tamen, ut, cum infinita sit illa formalitatum divinarum ratio determinata, nos eam ullo modo comprehendere, & quasi nomen definitum illi rationi dare, nequeamus. Unde quoque Quantitatem in prædicatis divinis spectabilem à Quantitate reliquâ piè semper exemptam habemus, quippe quam, ut reliqua divina, concipere (nedum metiri) haut quaquam possumus. Quæcunque igitur hîc de Quantitate proponuntur, de eâ, quæ extra Deum se offert, intelligenda primariò veniunt.

§. 4. Tertio notari convenit, quod in respectu ad formalem quantitatis rationem non tantum ultima rerum supposita v. g. *res, planta, planeta, tabula, machina, lapis, vestis* &c.